



Universitätsbibliothek Paderborn

Domus Æternitatis

Reserata, Et Ad Ingrediendum Quotidie Memorïæ cogitationibus,
Intellectûs considerationibus, ac voluntatis affectibus Aperta ; Serviet
quoque pro Concionibus; uti & pro Exhortationibus, in Agoniae Domini
Sodalitatibus

continens Impedimenta Et Adjumenta Æternæ beatitudinis

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1713

Scopus hujus Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50716)



PARS IV.

Scopus hujus Partis.

CONSIDERATIS, parte primâ, æternitatis præambulis, naturâ, & subjectis; parte verò secundâ, æternitatis beatæ gaudiis, ac tertiâ, damnatæ tormentis; hâc parte quartâ, nonnulla impedimenta & adjumenta sive media proferemus; eo fine, ut illa tanquam obices & pessulos Domûs beatæ removeamus; hæc verò tanquam claves, Domûs cælestis januam nobis referantes, sedulò adhibeamus: quamvis impedimenta salutis, media quoque sint damnationis; & media salutis, damnationis obstacula; secundum illud Philosophi: *Generatio unius est corruptio alterius: & declinatio mali, accessio boni.* Unde hortatur S. Augustinus: *Laboremus, ut nobis bonorum operum Clavibus januâ regnicælestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vita nobis janua clauditur; ita absque dubio bonis operibus aperitur.* Serm. 252. de temp.

A 2

Ut

Ut autem, mi Lector, huic tanti Præfulis hortationi obsecundes, impedimenta & adjumenta hoc libello contenta crebrò lege, considera, perpende; ne accensearis illis stolidis [quorum infinitus est numerus] *qui malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitæ jannam sibi præcludunt*: dum enim peccata peccatis quotidie accumulant; quid aliud agunt, nisi ut impedimenta impedimentis, seras seris, vectes vectibus, trabes trabibus, imò valla vallis ac muros muris apponant & opponant; quò aditum beatæ æternitatis magis magisque sibi obstruant, ac tantò minùs penetrare, ingredi que valeant. Hoc autem labore, quid efficiunt; nisi ut certius ab æterna beatitudine excludantur; & infallibiliùs ad æternas inferorum pœnas detrudantur, Dæmonum potestati subjiciantur, verme conscientie rodantur, igne, & omnium tormentorum congerie torqueantur in omnem æternitatem? An non hæc est cæcitas, nullo lacrymarum imbri sat deploranda? An non phrenesis incomprehensibilis & horrenda? Ne

Ne hæc amentia te quoque & me occupet, secundum Apostoli monitum: *Abjiciamus opera tenebrarum*, quæ tenebras amant, atque ad æternas tenebras amandant: *Et induamur arma lucis*. Rom. c. 13. 12. quibus arcem cœlestem expugnemus. *Laboremus ut bonorum operum Clavibus*, januam regni cœlestis nobis aperiamus; & cum viris verè sapientibus ac timoratis, indies adjumenta adjumentis, media mediis, velut claves clavibus addamus; ut tantò certius æternitatis beatæ aditum referemus. Toti in eo sumus, ut vanis ac sterilibus curis, operibusque rejectis, unam æternitatem, ejusque media, semper & ubique & in omnibus, in corde, in mente, in memoria, in opere, in sermone, in amore, in timore, in sollicitudine, in præmeditatione habere consuecamus: impedimenta omnia ac singula removeamus, & ne tanti momenti negotium, ulli dubio, fortunæ aut casui exponatur, sollicitè caveamus: deq; omni certitudine possibili nobis prospiciamus.

Quæ si præstiterimus; itinere felici progrediemur; magnis passibus quotidie

A 3

ad

ad Domum æternitatis beatæ properabimus, & tandem feliciter eam intrabimus, ac perpetuò possidebimus. Si verò ea neglexerimus, in ancipiti semper fluctuabimus; & inter millena discrimina constituti, de salute nostra nunquam tacti, securique esse poterimus. Laboremus igitur & agamus, quidquid, Deo juvante, valemus: *Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.* Laboremus, crebroque cogitemus: ô quid curamus, si æternitatem beatam non curemus? O in quid labimur, si in æternitatem maledictam prolabamur? Scimus, nos, quidquid agimus; volentes, nolentésve, æternitati agere. An non igitur summè insani ac reprobi sumus, si scientes volentesque potius infelicissimæ & diabolicæ, quam beatissimæ ac divinæ æternitati laboremus? O absit hoc à nobis, absit! Quin potius omne vitæ præsentis instans, omnis motus, omnis cogitatio, locutio & actio nostra, in immensum beatæ æternitatis oceanum influat, ut perpetuò nos beet, recreet atque oblectet.

CON.